



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Communi Apost. Cap. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

S E C T I O O C T A V A .

De Communi Sanctorum.

COMMUNE Sanctorum continet ea, quæ ad Horas Canonicas sunt necessaria, quando in eorum Festis non habentur propria; nimirum Hymnos Antiphonas, Psalmos, & huiusmodi. Potissimum autem deseruit ijs Sanctorum Festis, qui de numero Apostolorum sunt, Martyrum, Confessorum, Virginum, non Virginum, item Patronorum, seu Titularium: Item Dedicacionis Ecclesie, & frequenti officio, quod vocatur S. Mariæ in Sabbato. Sed in genere occurrit quæstio de Communi: quo die celebrandum erit Festum illius Sancti, de quo nescitur dies obitus, neque translationis, neque insignis manifestationis, & eiusmodi; & tamen alijs de causis celebrari debet eius Festum cum maiorum consensu? Antiquiores celebrabant illius Festum, in die, quo in Martyrologio Festum alterius Sancti eiusdem nominis occurebat; quod notauit Baronius in Martyrologio die 12. Februarij sub litera, E. vbi trium Modestorum fit mentio. Et hic quidem ritus placet, nisi, vbi timetur error in populis, qui credant eum, quem colunt, esse eundem, qui in Calendario Romano descriptus est: quod non sine graui peccato fit hodie alicubi, vt audio, suadentibus tale quid ijsdem de clero, vt fiat concursus ad eorum Ecclesiam, vbi requiescit corpus Sancti eiusdem nominis. quo casu tutius esset celebrari Festum illius alio die, puta, translationis, vel proximiori. inuigilent autem Episcopi, ad quos attinet Sacras approbare Reliquias, ne inducatur hic abusus, neue inductus toleretur. Quæ verò ad Commune Sanctorum attinent, ad sex capita reuocari possunt.

SECTIONIS VIII. CAPITA VI.

- 1 De Communi Apostolorum.
- 2 De Communi Martyrum.
- 3 De Communi Confessorum.
- 4 De Communi Virginum, & non Virginum.
- 5 De Communi Dedicacionis Ecclesie.
- 6 De Officio Beata Maria in Sabbato.

De Communi Apostolorum:
Cap. I.

Apostolis, & Euangelistis communia sunt omnia, exceptis, Oratione, Lectionibusque trium Nocturnorum; vt videre est in Breuiarijs antiquissimis M. S. neque dubito, Euangelistas comprehendi nomine Apostolorum à S. Clement. lib. 8. Constitut. cap. 39. vbi de Festis Apostolorum agit.

2 De Hymnis, & eorum auctoribus diximus *Secl. 5. capit. 6.* Antiphonæ, & Psalmi congruunt Apostolico muneri, & dignitati. in quibus illud certè est singulare (non in alijs Sanctorum Communibus) quòd nouem Psalmi Nocturnorum desumpti sunt, ordine Psalterij, ex Nocturnis integræ Hebdomadæ; primus è *Dominicali Nocturno tertio*, tempus gratiæ significante; secundus è *Feria secunda*; tertius, & quartus è *Feria tertia*, in qua creauit Deus maria, & ornauit terram, loca propria iurisdictionis Apostolicæ; quintus, & sextus è *Fer. quarta*, in qua produxit Deus luminaria mundi, Apostolicæ dignitatis indicia; sed hæc FERIA dicata est Apostolis, vt diximus in 1. Tomo pag. 216. septimus è *Feria quinta*, octauus è *Feria sexta*, nonus è *Sabbato*: ita vt vnaquæque dies tanto muneris, & dignitati merito plaudeat, & collatur; & multò magis *Feria tertia, & quarta.*

quarta, ob prædictas causas. Lectiones ritè congruunt, & Responsoria. vt patet. quod si dicas: numerum pluralem in hoc officio adhibitum sæpius non conuenire Festo vnus tantum Apostoli; scito, quod principaliter officium hoc Principum est Apostolorum, Petri & Pauli; à quibus ad alios Apostolos translatum fuit: vel Apostolorum Chorum ita esse vnum, vt, qui vnus celebrat Festum, non excludat alios. vnde & in Missa Præfatio de Apostolis eos omnes vna semper complectitur, & concelebrat. Amalar. *lib. 4. c. 3. 5.* indicat officium hoc esse antiquissimum. Pius V. ab eo officio, quod erat in Breuiar. 1550. nihil ferè recessit; nisi quod vnicum Inquitorium firmavit. erat enim geminum; alterum Æstiuum; alterum Hyemale. Deceuit Lectiones de Scriptura, iuxta antiquam regulam Rom. ex Radulph. *propof. 1. r.* addidit alias Lectiones pro Apostolis ad celebrandas. fortè eorundem Octauas, vel minora eorum Festa, quæ alicubi occurrunt: ademit Responsorium nonum, quod amplius non dicitur, & mutauit in melius Capitulum Horæ Sextæ.

3 Dices: superfluum est illud Euangelium; *Hoc est præceptum meum*, cum sua Homilia in tertio Nocturno. nam cuiusuis Apostoli Festum habet proprium Euangelium, & Homiliam. præterea Euangelium. *Hoc est præceptum meum*, deseruit nunc Vigilis Apostolorum: ergo collocandum in eodem quidem Comuni, sed ante Orationem communem de Vigilia. Sed hæc argumenta sub Pio V. nulla erant; quia in Festo S. Barnabæ legebatur Euangelium, *Hoc est præceptum*, cuius Homilia ideo debuit collocari in tertio Nocturno. Quid igitur sub Clemente VIII. dicendum erit: cum singula Communia suam habeant in tertio Nocturno Euangelium cum Homilia, in prima recognitione Breuiarij, nulla visa fuit mutandi loci ratio; imò accidere potest alicubi, quod fiat aliquod Festum Apostolorum non principale: in quo ad differentiam Festi principalis, legi poterit Euangelium positum in Comuni:

qua item de causa additum fuit, vt innuimus, à Pio V. aliud Euangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*: quod Abbatum Comuni referuari poterat. Tandem in postrema Breuiarij recognitione repositum est illud, & optime, sub titulo Vigil. Apostolorum, & in 3. Noct. aliud: *Ecce nos reliquimus omnia.*

4 In tertio Nocturno frequenter auditur, *Alleluia*: & rationem affert Amalarius de *Ord. Antiph. cap. 59.* quia exiterunt primi, qui viso Domino resuscitato gauisi sunt, nempe in tertio statu naturæ humanæ, post legem, tempore vberioris gratiæ.

5 In 2. Vesperis dicuntur Antiphonæ aliæ à primis Vesperis, & Laudibus, ad maiorem scilicet solemnitatē, & ad declarandam eorundem propinquitatem maiorem cum Christo, in cuius Festis fit hæc additio Antiphonarum, & multiplicatio. Diximus etiam Sect. 5. *cap. 7. nu. 4. pag. 45.* Antiphonas significare caritatē, quæ resulfit in Apostolis super alios, vt meritò abundare debeat Antiphonis eorum officium, & nouis: *Caritas Christi urget nos*, aiebat Paulus, aliorum nomine. In Natiuitate S. Ioānis Baptiste idem fieri non nego; imò & inde fieri puto, quia missus à Deo, idest, Apostolus, ipse quoque fuit, Christo carne propinquior, & mente. In Festo quoque plurimorum Martyrum idem fit; quia *maiorē caritatem nemo habet, quam*, &c. & ubi plures coluntur Martyres simul, multiplicata caritas per Antiphonas plures indicari debet, quod anticipatè monuimus hoc loco, ne idem repetamus infra.

6 Lectiones pro Euangelistis in primo Nocturno addidit Pius V. congruentissimas. reliquæ erant in vsu, sed Lectiones 3. Nocturni cum Euangelio de missione binorum Discipulorum in duobus Festis leguntur, Marci nimirum, & Lucæ; qui quasi bini scriptores mittuntur ad messem.

7 Tempore Paschali æquum erat, vt Apostolis, qui virtute magna reddebant testimonium Iesu Christi, daretur officium lætitiæ plenum, quibus & promitte-

rat.

rat Christus gaudium plenum. Durand. indicat mutationem hanc officij *lib. 7. c. 45.* Pius V. diuisit Hymnum in duas partes, ita ut altera in Laudibus cāteri queat cum varietate, ordinauit melius Respōforia, restituito primo, quod reiectum fuerat, citatum à Durando *supra.* De vna cum Antiphona tribus Psalmis, vide *Sect. 5. cap. 7. num. 5. pag. 45.*

De Communi Martyrum.
Cap. II.

1 **M**artyrum Festa antiquissima sūt, Clem. teste *lib. 8. Apostol. Constitut. c. 39.* & vidisti in Sectione precedenti.

2 Alij sunt Martyres Pontifices, alij non Pontifices, & vtrisque datur officium commune, excepta Oratione, & Lectionibus primi Nocturni, *A Mileto*; quæ leguntur tantum in Festo Martyris Pontificis, cui congruit ea narratio, de Paulo recedēte ab ouibus, itaque in festo Mart. non Pontificis leguntur alia, quæ habentur in Communi plurimorum Martyrum, *de Epist. ad Rom.*

3 Lectiones 2. & 3. Nocturni plures sunt in Commun. positæ, tum ad varietatem, præsertim infra Octauas; tum ad proprietatem; quia in Missali diuersa Festa diuersa habent Euangelia.

4 Dices: quid agendum, quando in Missa legitur Euangelium cuius Homilia nulla habetur in Communi? quomodo concordabitur eo casu officium cum Missa: Respond. legenda erit Homilia, quæ fortè in Proprio Sanctorum habetur: ut Homilia super Euangelium: *Nihil opertum, &c.* quæ habetur in Festo S. Polycarpi, quod si non habeatur in Breuiario, veluti super Euangelium. *Nolite arbitrari, vel: Qui vos audit, me audit, &c.* similia; recurre ad Octauarium Romanum, in quo habentur Homiliæ de quocumque Euangelio; quod habetur in Missali si Octauario careas, lege in officio Homiliam Euangelij, quam habes in Communi, & in Missa deinde idem Euangelium leges, iuxta Rubricam, quæ

in Missali habetur post primam Missam de Communi vnus Martyris Pontificis, in qua conceditur vsus Euangeliorum, quæ in eodem Communi assignata sunt, ita ut liberum sit legere in Missa quocumque Euangelium, de eodem tamen Communi sumpsum.

5 Responsorium proprium post 9. Lectionem positum pro festo quinque Sanctorum Martyrum Pontificum: *Dominæ præuenisti*; non est, ut putant aliqui, ad excellentiam; sed ad vitandum mendacium in eo Responso futurum, si in eorum Festis recitaretur: *Hic est vere martyr, qui sanguinem sudit*, cum ij perierint quidem, sed non effuso sanguine, ut ex eorumdem historijs patet, Marcelli, Ioannis, Siluerij, Pontiani, & Martyni. Consule Lectiones eorum in proprijs Festis. Adde ijs, ob eandem causam, festa 9. Lectionum S. Felicis in Pincis, & S. Melchiadis Papæ ubi celebrantur. Hac eadem de causa voluissent aliqui in prædictis festis mutari Versum in Hymno Vesp. *Fundensque pro te sanguinem*: sed poetis idem est, ac fundens vitam, quæ est in sanguine.

6 Torum officium de Communi vnus Martyris, quo nunc vtimur, habetur in Breu. M. S. & 1550. Durandus indicat eadem Responsoria *lib. 7. c. 45.* Pius V. reformauit Lectiones tantum.

7 Commune plurimorum Martyrum idem est, quod in antiquis Breuiar. M. S. & 1550. Pius V. decreuit primas Lectiones de Scriptura, mutauit alias in aptiores.

8 De fine Hymni, qui dicitur post Inuitatorium (etenim proprius finis est) diximus, numquam eum mutari, *Sectione 5. cap. 6. n. 13. pag. 34.*

9 Responsorium post 9. Lectionem pro fratribus Martyribus. *Hæc est vera fraternitas*, non dicitur vquam, nisi verè ij sunt fratres secundum carnem, quod si cum fratribus carnalibus celebrantur alij non fratres in eodem festo, non dicitur, quod nota in festo Sanctorum Placidi, & sociorum: quamuis enim in ijs duo fratres, & soror simul obierint alio-